

# ANNIS GEORGII NEUMANNI

SS. THEOL. D. ET PROFESSORIS PUBLICI

VITEMBERGENSIS

## ORATIO


DE TUMULO D. LUTHERI ADHUC  
INVIOLATO,

**ANNO 1707,**

HABITA;

UNACUM APPENDICE EIUSDEM ARGUMENTI.

EDITIO NOVITER IMPRESSA.



MONACHII

G. MESSNER, RUMFORDSTRASSE 32

1883.



Martini Lutheri, Reverendi Patris, memoria hoc nobis sanctior esse debet, quo plura atque maiora eius sunt merita, quibus cum hanc Academiam tum universam, qua purior est, Ecclesiam modis omnibus sibi devinxit. Hic enim ille invicti animi Heros est, qui omnibus superiorum temporum scholae Doctoribus noctem quasi et caliginem intulit ipsisque veteris Ecclesiae Patribus, si ex vero rem aestimes, palmam aut dubiam reddidit, aut rerum gestarum magnitudine praeripuit plane: hic ille Propugnator noster, qui et huic Civitati et incolis et tot praeterea populis ac nationibus religiosius quoddam et ad discernendas sectas idoneum perpetuumque ab se nomen dedit suoque merito obtinuit, ut alii cum velut tertium Saxoniae Eliam, alii velut Principem Dei inter homines, quod Abrahami clogium ob fidem vere Abrahamiticam ipsi quondam tribuerat Melanchthon, alii aliis in coelum eveherent praeconiis, et eo quo par erat cultu prosequerentur. Neque tamen vel sensibus suis abundabant nostri, vel de hoc antesignano Summopere sibi placebant, sed ipsi quoque adversarii, et, qui nomini Lutheri aeternam inurere ignominiam studebant, virtutem nihilominus in hoste laudarunt, dotes ingenii summas ac plane divinas suspexerunt zelum denique atque incredibilem animi magnitudinem, attoniti quasi sunt demirati. Cupio vobis in mentem venire, Calvinus ad Genevenses

scribit, quantus sit Vir Lutherus, et quantis dotibus excellat, quanta animi fortitudine et constantia, quanta doctrinae efficacia hactenus ad profligandum Anti-Christi regnum et propagandam salutis doctrinam, incubuerit. Saepe dicere solitus sum, (Calvini asseveratio est!) etiamsi me diabolus vocaret, me tamen hoc illi honoris habiturum, ut insignem Dei servum agnoscam. Omitto libens Pontificios illos sedis Romanae satellites, quos interdum quidem obtretractores sensit noster et hostes adeo fervidos, ut non calamis, sed ferro et flammis rem agerent, seditiosis clamoribus suis turbas darent; aliquando tamen iudices et aestimatores sui habuit ita aequos, ut iam pro flagello sectarum scholasticarum, iam pro magno curiae Romanae censore, eundem agnoscerent, omnes autem ut ingentis animi virum et quoddam diviniore scientiae oraculum celebrarent. Quod vel unius Leonis X. comprobatur suffragio qui fratrem Martinum exquisitissimi hominem ingenii appellabat, contentionum vero causas, priusquam in nervum erumperent, haud aliunde, quam a Monachorum insidiis quo erat iudicii acumine arcessebat. Sed nec alienis indiget laudibus, qui sua ipsius virtute nititur, nec opus ei phaleris, qui rerum gestarum gloria per se effulget. Quod enim sua conscientia tranquillitas, sua religioni fides reddita, ipsaque ad Servatorem communem via nobis reclusa est, id quidem divina effectum ope, agnoscimus, at Lutheri tamen ministerio, id est, vigiliis, studiis, laboribus, periculis item summis exantlatum fuisse, si quis vel dissimulet, vel parvi ducat, vel non agnoscat beneficium, is vehementer ingratus vel, ut liberius dicam, omnibus orbatus sensibus sit, oportet.

Tantum igitur Virum, nobis coelo demissum, datumque huic Academiae Doctorem, ac tandem hic loci

tumulatum fuisse, Vitembergae nostrae plus famae atque celebritatis attulit, quam vel Romae, terrarum dominae, accedere a sexcentis Praesulibus, totidemque status et monumentis potuisset. Hunc enim tanti Confessoris tumulum spectatum veniunt exteri, huius ipsius causa aliquando Reges et Principes nos salutant et quibus Religio curae cordique est, Manibus tanti Instauratoris purae religionis ac Vindicis bene precantur. At unum illud male me habet, quod vetus quaedam opinio valuit, et quasi per manus tradita posteris fuit, de Cineribus Lutheri aliquando effossis et alio deportatis, sic, ut vulgo persuasum hodie sit, verum Megalandri tumulum ignorari hodie, nec quicquam aliud, ac cenotaphium et urnam cineribus vacuum superesse. Fateor sane, toties hunc nobis scrupulum moveri, quoties hospites ad nos invisunt ipsa urbis monumenta, et quidquid de Lutheri reliquiis nobis suppetit, perlustrari. Et quis reprimat sermonem vulgi, qui ipsis aliquando eruditus et rerum intelligentibus imponit?

Ipsam me, fateor, fluctuasse interdum nec evidentia satis ad convincendam vulgi opinionem reperire argumenta potuisse. Quare cum occasio mihi obtingat, de re alicuius momenti tecum, Decane spectabilis, pro more huius congressus, disserendi, eam, velut peropportune mihi datam, amplector atque ex te, Polyhistor Cl., scire desidero, quae huic narrationi fides habenda, et, si quidem suspecta illa sit, quae sit fabulae origo, quibus denique argumenta eadem refelli possit? Equidem verbar initio, ne levior forte et scientiae fastigio inferior haec disquisitio videretur, cum longe plura, eaque graviora rerum capita extiterint, quorum abs te rogare causas, et satius, et huic Consessui, convenientius, forte

iudicabam. Poteram enim vel de reconditis quibusdam Graecarum Literarum monumentis Te consulere, de quo munere iam olim praeclare meritus es, et adhuc dum bene mereris, vel ex Romana, quam admirabili quodam exemplo excoluisti, facundia, quaedam proponere, quod tamen audendum mihi non erat, priusquam Tuae ipsius eloquentiae usura mihi ad hanc causam concederetur, vel denique in amplissimum historiarum campum excurrere, et fidem quorundam Annalium vocare in dubium, quod quidem Tibi, tot instructo praesidiis Viro, facillimum, mihi aliquanto difficilius, futurum erat. Adeo quidem in omnibus excellis, Amplissime Vir, ut in singulis principatum teneas ac Polyhistoris adeo nomen Tuo quodam iure tuearis.

Itaque satius duxi, perquirere, quae domi sunt, quam peregrina et nimis remota consecrari. Age igitur, Celeberrime Vir, et in re dubia me confirma.

Quandoquidem omnino refert, ipsiusque posteritatis interest, scire: Sartumne ac tectum habeamus Lutheri sepulchrum, an eversum aliquando, suisque exuviis spoliatum?

Mea vero sic fert ratio, huius originem traditionis ex belli Smalcaldici historia repetendam esse, funesti quidem illius, et universae Protestantium causae tremendi. Vix enim diem obierat Lutherus, cum publicis imperator tabulis Jo. Friedericum, Electorem Saxonem, et Hessiae Landgravium, Philippum, utrosque foederis Smalcaldici socios, quasi laesae Majestatis reos, sine Electorum suffragio proscriberet, quippe qui ductis in Bavariam copiis irritaverant magis Caesarem, quam debellaverant, ut infelix postea eventus docuit. Caesar enim, allecto in partes Mauritio, Saxonum Duce, cui spem occupandi Electoratus fecerat, opinione celerius advolans, Misniam invasit, praelioque

prope Muhlbergam commisso, ipsum Electorem in saltu Lochaviensi cepit, detentum custodia secum Vitembergam duxit, locatisque in Pago Pistricio, qui clientelae Academicæ est, castris urbem nostram obsidione cinxit, semelque, iterum, et amplius ad deditionem evocavit. Mox religiosissimum Electorem, ob rebellionem, ut loquebatur Caesar, capitis damnavit, exutamque septemviralem dignitatem ad Mauritium, ejus agnatum, detulit. Qua de re viridis ille prope Albim clivus testatur, exiguum quidem, at perpetuum rei tam memorabilis monumentum. Eheuquam tristis eo tempore facies hujus urbis, quanta tum Academiae nostrae calamitas, quanta omnium trepidatio et fuga! Maxima Professorum pars in Marchiae oppida secesserant, uti memorat Fabricius, Originum Saxoniarum Scriptor: alii se aliorum receperant, remanentibus tamen Theologis, qui tum erant, Bugenhagio, Crucigero, Georgio Maiore ipsoque Philippo Melanchthone, qui de bello cappessendo rogati, singulari quodam responso, quod in Sylva Lochaviensi postea repertum fuit, electori consilium dederant, ut irruptionem hostium expectaret, non faceret atque sic sui suorum defensione, ultima quaevis experiretur. Studiosi item juvenes, appropinquante hoste, publicis tabulis exire urbe, et de sua sibi prospicere securitate, jussi fuerunt, ut plura ne commemorem. Itaque ad propulsandum impetum, et sustinendam obsidionem, omnium conspirabant consilia, omnes colligebantur vires. Suburbium, quod eo tempore populosissimum erat, eversum, ne hostium evaderet receptaculum, domus arboresque excisae, ipsa turrium fastigia, tum quae templo parochiali, tum quae arci imposita erant, submota, ut scilicet tormenta defensorum eo collocari, atque hoc fortius molitiones propelli possent. Ipsa electoris Serenissimi conjux, una cum tribus filiis, pluribusque Proceribus intra haec moenia sese continens, propugna-

culum sat tutum credidit ad se suosque defendendos. Non enim ita spreta eo tempore iacebant huius urbis munimenta, ac hodie conspiciuntur, ubi non undiquaque magna huius praesidii cura est, primique omnium diffugiunt, qui primas tenent, aut citius se dedunt hosti, quam deditionem ille deponat. Caesar ipse, velut sibi diffusus, nectebat moras, dubius, relinqueret urbem, an oppugnaret? Locum adeo firmum, ut Thuanus de Vittembergae nostra loquitur, temere aggredi, sicut periculosum erat, ita ignaviae affine, post partam victoriam, relinquere. Quis enim victoriae tantae fructus, Vittembergae intacta, quae sola Vandalicis civitatibus confirmandis, et bello rursus redintegrando par esse videbatur, rursus ea tentata, et non expugnata, amitti eiusdem victoriae fructum, et invictae potentiae opinionem in animis hominum exstingui?

Accedebat civium animositas, qui septies mille praesidiariis communiti, et ipsi maximam partem armati, etsi Caesar transegerat cum Electore, de urbe tradenda, recusabant tamen facere deditionem, nisi Princeps, cui obsequii fide obstricti fuerant, ipse mandasset. Inter has turbas rerumque angustias, quis dubitet, quin vel Elector, vel piissima eius Coniux, vel Theologi denique, fidissimi Lutheri socii, curam ac sollicitudinem habuerint pro cineribus Lutheri sanctius custodiendis, nec hostium furori temere exponendis? Namque hic ille Elector, qui Lutherum, cum viveret, in oculis ferebat, muneribus non raro afficiebat luculentis, stipendio item annuo centum Florenorum, quae accessio eo tempore sat splendida erat, mactabat, defuncti etiam corpus, velut ingens aliquot depositum a Comitibus Mansfeldensibus vel exoratum, vel suo quodam iure exactum stanneoque impositum sarcophago, non sine amplissima pompa sepeliendum

curabat, delecto in conditorium hoc O. SS. templo, quod tot precibus Deo dedicaverat vivus, tot concionibus sacris animaverat, ac primum omnium superstitioni Papaeae subtraxerat. In primis vero ad immortalem huius Principis laudem facit, quod succam hanc aedem arci contiguam, una cum omnibus redditibus, Academiae nostrae patrimonio addixit, illudque octo insuper pagis, quos hodieque possidemus, auxit, munia Lectorum (sic enim vocabat haec aetas) accessionibus annuis locupletavit, Bibliothecam publicam, quae postea Jenam translata est, instructissimam reddidit, quid vultis? omnes ille curas, omniaque consilia, ad propagandae religionis negotium contulit, ut vel hinc constare possit, quantum Magnanimo huic Electori Academia, quantum orthodoxa fides, tanto Confessori, et prope dixerim, Martyri, debeat. Valde non minus sapienter, ac vere dictum a Melancthone, accepimuss: Plus profuisse Ecclesiis constantiam Frederici, quam ipsam, quae a foederatis Smalcadicis sperari poterat, victoriam. Jam qui Lutherum, cum in vivis esset, tantopere dilexerat, tam honorifice sepeliendum curaverat, hunc prope abest, quin credam, post fata etiam, de cineribus Lutheri religiosius custodiendis et ab hostium ignominia vindicandis, et consilium dedisse et summpere laborasse. Sed enim vero aliud me fides historica, aliud ipsa temporum ratio, edocet. Equidem consilia de tollendis Lutheri exuviis inita fuisse, non negaverim, sed, num consiliis istis ipse responderit eventus, hoc illud est, de quo dubito vel maxime atque abs Te Cl. Polyhistor edoceri cupio. Silent enim illorum temporum Annales publici, silent historici, qui res gestas patriae mandarunt literis, et cum res minimi saepe momenti recitent, mirum est de hoc memorabili negotio nec volam ipsos, nec vestigium

reliquisse. Deinde haud parum suberat periculi, refodere Confessoris nostri exuvias, et Imperatorem, ad delendos Lutheri cineres extimulatum tumba iam vacuefacta, frustrari. Passurique omnino gravius supplicium fuerant, si quid consilii ad tollendum haereticum, quae perpetua hostium contumelia erat, vel cives, vel Theologi contulissent.

Neque mihi hic loci in sanctas Lutheri exuvias Caesaris praetereunda pietas est. Cum enim ingressus urbem, oculis animoque contempleretur Lutheri tumulum, et Ferdinandus quidem Albanus effossionem corporis vel maxime urgeret, sinite, inquit Carolus, quiescere illum, quando quidem suum habet iudicem. Ac, cum denuo instaret Antonius Perenottus Episc., respondit Caesar: Non cum mortuis mihi bellum, sed cum vivis gerendum est. Denique si in abdito quendam et reconditum locum delatae sunt Patris nostri exuviae, ut habet traditio, eccur adeo tectum illud Maioribus nostris? cur Annalibus Academiae non insertum? Cur non per manus traditum, fidoque et constanti sermone ad nos transmissum fuit? Testor fidem vestram Patres, vestram imprimis Seniores Venerandi memoriam sollicito, num quid vel a Maioribus vestris fando audivistis vel sub arcani fide ad posteros transmittendum accepistis? dicite quaeso sententiam, nec posteritati, quicquid de hoc argumento nobis suppetit, invidete.

Respondit Cl. Vir Dn. C. S. Schurzfleischius et sententiam B. Neumanni omni asseveratione comprobavit.

### Ex Dissertatione Car. Gottl. Hofmanni de funere et sepulchro D. M. Lutheri. Viteb. 1746.

In vulgus olim exierat rumor, maiores nostros, tempore belli Hispanici, paullo ante, quam Witteberga ab imperatore Carolo V. capta est, tumulum b. Lutheri aperuisse, cineres ossaque eius eruisse et in locum occultum, qui nemini, nisi Rectori academiae per vices, et Seniori Theologo constare dicitur, deportasse: ne scilicet imperator, urbem occupaturus, in exuvias cineresque Lutheri saevire posset. Jo. Meisnerus, praepositus templi OO. SS. (quod arci contiguum et nunc academicum est) iam sua aetate meminit huius rumoris eundemque a multis creditum perhibet: hinc et eum confutare studet. in descriptione ecclesiae Collegiatae Omnium Sanctorum Witteberg. an. 1668 p. 143.

Elegantissimam orationem de tumulo b. Lutheri adhuc inviolato habuit Jo. Georg. Neumannus t. t. Academiae Rector an. 1707 in renuntiatione Magistrorum Vernali, quae typis aeneis iterum iterumque excusa prostat.

In qua docte et solide asserit tumulum Lutheri nos etiamnum habere inviolatum, non eversum neque suis exuviis spoliatum, fretus his potissimum rationibus: „Silent illorum temporum annales publici, silent historici,

qui res gestas patriae mandarunt literis, et cum res minimi saepe momenti recitent, mirum est, de hoc memorabili negotio, nec volam ipsos nec vestigium reliquisse. Deinde haud parum suberat periculi refodere Confessoris exuvias et imperatorem ad delendos Lutheri cineres exstimulatum tumba iam vacuefacta frustrari. Passurique omnino gravius supplicium fuerant, si quid consilii ad tollendum haereticum quae perpetua hostium contumelia erat, vel cives vel Theologi contulissent. Neque mihi hic loci in sanctas Lutheri exuvias Caesaris praetereunda pietas est. — Denique si in abditum quendam et reconditum locum delatae sunt Patris nostri exuviae, ut habet traditio, eccur adeo tectum illud Maioribus nostris? cur Annalibus Academiae non insertum? Cur non per manus traditum fidoque et constanti sermone ad nos transmissum fuit? Testor fidem vestram, vestram inprimis Seniores venerandi, memoriam sollicito, numquid vel a Maioribus vestris fando audivistis, vel sub arcani fide ad posteros transmittendum accepistis? dicite, quaeso, sententiam, nec posteritati, quicquid de hoc argumento nobis suppetit invidete.“

His superaddam testimonium summi quondam polyhistoris, Conr. Sam. Schurzfleischii, qui in epistolis arcanis tom. II. p. 575 respondet Neumanno, de violatione sepulcri quaerenti: „Assentior tibi, et magnum religionis vindicem, tertium Saxoniae Eliam, Martinum Lutherum, in sepulcro templi arcis conditum, in eo loco, ubi humatus est, situm, neque alii tumulo, ac hodie ostenditur, illatum fidenter assevero. Non audebat Imperator quicquam acerbius statuere insepultum, cum Mauritius esset in castris, et videret omnia, quae ageret, nec volebat, qui tam aequo in Lutherum animo, tam miti mansuetoque ingenio erat, ut vivorum se iudicem ferret, mortuos Deo iudicandos relinqueret Hispanosque redargueret, ut e sepulchro erueretur, obtestantes.

Excussi tabulas, vidi actorum commentarios, inspexi pluteos, nusquam inveni sanctos viri cineres effossos et alio delatos. Equidem affirmavit mihi Spoorius, curiae provincialis iudex, se ex ore Joannis Georgii II. audivisse, ossa Lutheri a praefecto castris in vicinum quendam pagum, Carolo V. trans Albim consistente, transportata fuisse et sepulturae mandata, sed quo sum ad investigandum promptior, eo minus vel levia quidem huius rumoris vestigia inveni, Spooriumque auribus deceptum haud futili argumento iudicavi.“

Tandem omnis lis conclamata esset, si vera esset historia, quam Martinus Nicolaus Grinsius in Tr. Wohlgegründetes Jahrbüchlein verschiedener geistlicher Religions-Denkwürdigkeiten Jen. 1722 p. 125 ac annum septimum ultra millesimum septingentesimum retulit: „Carolus XI. König in Schweden, welcher jung in Sachsen eingefallen, besucht im Julio dieses Jah, Wittenberg, auch alle darin befindliche Raritäten und Antiquitäten, sonderlich aber die Grabstadt D. M. Lutheri und besiehet mit grossen Trost den Sarg; samt den darinn richtig neben einander liegenden Gebeinen gedachten seligen Mannes: kehret höchst vergnügt wiederum nach Alt-Ranstädt, und macht als testis oculatus et persona summae autoritatis alle heutige Thomas und Zoilos zu schanden, die fälschlich vorgeben, er sey (wie obem gemeldet) von bösen Geistern abgeholt und weggeschleppt worden, und dahero nicht mehr zu finden.“ Sed ex animo miror figmentum huiusque auctorem minus cautum. Ex illustri nostrae Academiae Seniore, Jo. Guilielmo de Berger, summo Saxoniae totius ornamento, viro meis laudibus maiori,

fautore meo sincero optimoque, quaesivi, num Carolus, Sueciae rex, tunc cum perlustraret arcis templum, sepulchrum Lutheri aperiri iusserit hocque fuerit etiam opertum: respondit autem, Grinsium manifesta figmenta narrare. Ipsum se in arcis templo tunc fuisse et nomine Academiae Regi in hoc obambulanti brevissimo quidem tempore adhaesisse una cum b. Neumanni olim nostro, hinc certissime se affirmare posse Regem de sepulcro Lutheri aperiendo ne quidem cogitasse, sed de hoc contemplando monitum, inspexisse modo lapidem sepulcro iniectum citoque abiisse. Qui potuit itaque Grinsius animo tam confidenti literis prodere, quae ab omni veri similitudine longissime abhorrent.

Denique operariorum quidam, qui sepulchrum b. D. Jo. Georg. Neumanni proxime ad dextrum latum m. m. Lutheri pararunt, mihi retulit, se stanneum loculum Lutheri temporis tractu viride factum non modo vidisse, ac et manu sua contrectasse, cum casu lapis e convexione, loculo superiecta, excideret, indeque foramen existeret, per quod ipsi licuerit et videre et manum immittere. Sed a sarcophago ad exuvias ipsas atque cineres eidem inclusos nondum valet consecutio.

---